



Exedræ Ecclesiasticæ Sive Concionvm Moralium ... t. ...

In Dominicas totius anni

Schrötter, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1687

III. In Dominica III. Adventus. Tu quis es? Ioann. 1. Arg. Sphynx
detriumphata, seu Cognitio sui commendata.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56286](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56286)

CONCIO III.
IN DOMINICA III. ADVENTUS.

Tu quis es?

Joan. I.

ARGUMENTUM.
SPHYNX DETRIUMPHATA,

S E U

Cognitio sui commendata.

Poësis prisca, quam abominandam vitiorum sceditatem germanis, ac consanguineis præsentare lineamentis se posse diffideret, ementitis eandem adumbrare conata est coloribus, ut vel ex scenica imagine conjicerent impii, quid de propria foret sentiendum. *Aud.* Hoc artificio ab impotentis iræ tyrannide eos vindictura, vel ejus criminis in eussura horrorem, commenta est Furiis, serpentino capillitio metuendas, sulphureas ejaculantes oculis flammæ, flagris, facibusque armatas improbis, ac efferatis hominibus à tergo instare. Hoc eodem ingluviem in forma Harpyarum unguibus fessipedalibus, facie emaciata, & collo grauis instar extenso, circumscript.

*Vitia sub
specie mō-
strorum
proposita.*

Hoc ipso Curiositatem in figuraturpissimarum Lamiarum adumbravit, quæ uno oculo, eoque exemptibili præditæ, eundem, si fortè domo exeundum foret, fronti inferebant, cætero qui in arca oppilatum custodiebant. Hoc eodem, ut alia mittam, teste D. Fulgentio, ad ignorantiam sui exturbandam, Poësis dicta sparsit in vulgus monstrum quoddam absurdissimum, Sphyn gem dictum.

*Sphynx
symbolum
ignorantia.
S. Fulgent.
in Mythol.*

Cùm itaque eadem nonnulli laborent, occasione, & ductu hodierni Evangelii, proponam Vobis ob oculos hunc defectum, & quidem in specie monstruosissima Sphyn gis. Erit res, & ad Evangelii intelligentiam, & ad mores informandos peraccommoda, si modò is qui solvit librum septem signa-
tura

eum sigillis, suo adfuerit adjutorio; & Vos auditorio.

PARTITIO.

NE de via exorbitem, & planius, rectiusque incedam, representabo imprimis personam ipsius Sphyngis; tum modum ipsius procedendi discutiam, denique Oedipum adducam.

S. I.

Persona Sphyngis proponitur.

II. **O**Rdior à persona illius, quam ex facie virginea alis aquilinis, & leoninis pedibus, juxta vulgatum verbum, præfati Vates componunt.

Sphynx volucris pennis, pedibus leo, fronte puella.

In qua id mihi primitus mirationi est, monstrum hoc ignorantiae, vultu nobilitatum virgineo. Nam quidnam quæso aut rari, aut novi est, quòd virgines fallat? Quid, quòd non augurentur, expiscantur? si tamen quidpiam illud est, certè illis agnatum esse videtur, nòsse se ipsas, faciem propriam, momentis propè singulis contemplari.

Ut plurimum abstrusioris sapientiæ magistri adumbraturi primam ex moralibus virtutem Prudentiam, pingunt eam contemplantem faciem suam in speculo. Auditores mei, quos virgines, totidem apud me Prudentiæ; quot matronæ, totidem virtutes Cardinales; quæ in contemplatione, & agnitione hominis versantur.

Intuitus est semel Gyneceum, seu coronam mulierum, vetus ille aulicus Plautus, apparantium sese ad nuptias, &

ecce jam hæc, jam illa cum consiliario suo speculo communicatura accessit, illa cum Veneto, hæc cum Gallico. Plautus interea non citra tædium præstolabatur comes itineris, seu pronubus futurus. Tandem pertæsus moræ, ad socios conversus, exululat: *Dum communitur, dum ornantur, annus est.* Ecce quot mulieres, totidem Prudentiæ in sui speculatione distentæ. Quo ergo ex capite Ignorantiæ monstrum facie donabitur virgineâ, cum quævis mulier sit prudentia, sui gnara, aut speculativa?

S. Jacobus Apostolus describens hominem fideratum, exiguæ circa res suas meditando solertiæ, vultusque sui incurium, confert illum viro vix unquam, aut non nisi per transfennam speculum consulenti: *Comparabitur viro consideranti vultum navitatis suæ in speculo, consideravit enim se, & abiit; & statim oblitus est, qualis fuerit.* Homo imprudens, & sui ignarus, non tam assimilabitur mulieri ait, quæ diu, multumque se considerat in speculo; sed viro rarissime, & obiter contemplanti in eo vultum suum; quod ubi conspexit, se illico avertit, recedit, sui que obliviscitur. Itaque consultius depingenda foret ignorantia vultu virili, & non fœmineo, seu contemplationi sui addicto.

Descenderem pronâ in eam sententiam voluntate, & prolixo horrendam barbitio Sphyngem colorandam esse, definirem, si fœminæ suas duntaxat facies contemplarentur; nec itidem eas obnuberent, pingerent, cerussarent, nisi adultæ, & rugosæ virgines glabellæ, ac nitidæ haberi ambirent; nisi defectus suos celare, aut honestare quoquo modo possunt, admitterentur.

Sphyngis descriptio.

Ausonius

Iac. 1. 24.

Fœmina prudentis.

*Fœmina
fucata.
Aug. lib.
de Pœst.
c. 15.
Ambr. in
Ps. 118.
Hier. Greg.
Cant. 2. 14*

III. Respexit identidem in vultus sui imaginem illa dilecta, in Canticis deprædicata, & tamen teste sancto Augustino, & aliis Patribus, à cælesti redarguta est Sponso, facièsque ipsius germana exoptulata: *Ostende mihi faciem tuam*. Nam si præsens aderat, si alloquebatur, si fruebatur delitiis sponsa, quâ ratione petere potuit videre faciem illius, quam incoram habebat? Num fortè obvelavit illam dilecto suo? Num verbulo aliquo ab eodem perstricta, mentum suspendit vaccinum? Vel quænam illa est facies, quam efflagitat? Propriam utique, non personatam, non fucatam. Vult dicere: Ostendis mihi faciem, sed emeritam, sed cerussatam, non germanam, ac nativam: *Ostende mihi faciem tuam*. Fingis te longè aliam in cure, quàm reverà sis in corde. *Ostende mihi faciem tuam*.

*Excusationes cal-
va in pec-
catis.*

Est hoc convitium in eos prolatum, qui proposito sibi, sive in examine, sive in confessione hac quaestione: *Tu quis es*, nimirum in conscientia, in anima tua? Et defectus varios, tanquam in speculo observantes, coloribus obducunt mendacibus, incrustant primis motibus, prætexunt causas, ad excusandas excusationes in peccatis, E. g. Notat quampiam in se iracundiæ labem, quòd nimium in familiam, in liberos, maritum ipsum debacchetur, ac sæviat, zelo tamen, & justæ indignationis purpurisso colorat, id est virginis honestissimæ, ac sanctissimæ, quantumvis citra ullam causam, aut occasionem proprio animi sulphure succensa crepet, flagretque. Altera item observat in se maculam haud levem detrahendi aliis, taxandi, ac censurandi aliorum mores, redarguen-

di ad confusionem propalam alios. Sed & hanc honestat specie virginis pulcherrimæ, nimirum fucò sinceritatis; quòd meliora sint vulnera amantis, ac redarguentis, quàm fraudulenta oscula blandientis. Advertit alium in se nævum invidiæ, aut ambitionis, quòd non libenter alteri cedat, quòd sinistro eum intueatur oculo, quòd illius fortunæ intuitu contabescat! & cerussa magnanimitatis inumbrat. Pari calculo alios ad numerum revocat errores, sed nullum tam candidè, ac sincerè, quin spumeum minimum illi inducat colorem.

Execratur fucum hunc cælestis Sponsus, & efflagitat etiam, atque etiam propriam, germanamque faciem: *Ostende mihi faciem tuam*. Agnosco, quòd hæc facies tua sit adultera, non propria; agnosco fucum, & non veritatem. *Ostende faciem tuam*, ne cum aliis extermineris. *Quoniam si laveris te nitrò, Ier. 2. 1. & multiplicaveris tibi herbam Borith, maculata es in iniquitate tua coram me*. Utere nescio quibus herbis odoriferis, ungaris nardo pretiosissima, abluere aquis, & liquoribus pretiosissimis, nisi veritatis amans fueris, *Maculata es iniquitate coram me*.

IV. Secundò eidem monstro volu- *Sphynx
cur alain*
crum alas eadem antiquitas attribuit. Et id ipsum in hieroglyphicum ignorantia, quæ perinde ac cornicula Æsopi, plumis, id est, donis divinis sese condecorat; & ex vilissima, abjectissimæque conditione sua, ad altissimam de se opinionem evolat. Nam quid quaeso est pulchritudo, præterquam pfitraci plumæ? Quid honor, quàm pavonis cujuspiam cauda; quâ in momento efferuntur; & tandem tota in
æter-

Munda-
norum
penna.
Sap. 5.

æternitate cum illis insipientibus eam
derezantur: *Quid nobis profuit super-
bia nostra, & divitiarum jactantia quid
contulit nobis? Transierunt omnia tan-
quam avis, quæ tranfvolat in aëre. Le-
viores sunt pennis honores mundani,
& in aura populi, ut effertur remigio
alarum suarum fama; sic evanescit; ut
remigat, ita emigrat decus omne.*

Divitia
penna A-
quila.
Prov. 23. 5.

Quid item habendæ divitiæ? Nónne
pennæ, & quidem Aquilæ? *Ne erigas
oculos tuos, inquit idem Sapiens, ad
opes, quia facient sibi pennas quasi Aquila,
& volabunt. Rectè quasi Aquilæ,
quoniam ut hæ aliarum volucrum pen-
nas absumunt, sic divitiæ tenuiorum
plumas, quoad ipsæ in auras ab-
eant.*

Psal. 54. 7.

Quid ipsæ ingenii dotes? nónne plu-
mæ, & quidem angelicæ, quibus iti-
dem supra ceteros elevamur? Quid
ipsa devotio, pietas, sanctitas, extases,
miracula? An non alæ, quibus alii se-
se ad sidera usque elibrant, quasque
Psaltes concupiisse videtur, quum oc-
cineret: *Quis mihi dabit pennas sicut
columbæ, & volabo, & requiescam?*
Quis, inquit, hoc me donabit favore,
ut columbæ instar, per amorem Dei,
& proximi, per vitam activam, ac con-
templativam, per opera externa, ac in-
terna, ex his transitoriis, ad sempiter-
na me sublevem? *Quis dabit mihi
pennas?*

Sæpenuerò tamen, quantò quis
ampliùs hisce abundat charismatibus,
seu donis; tantò arrogantius sui igno-
rantia effertur, tantò sublimiùs per ina-
nem jactantiam evolat, motum vel cum
cornicula Ælopi risum, vel cum Icaro

subiturus naufragium, utinam non sem-
piternum.

V. Ad extremum adduntur eidem
monstro pedes leonini. Et hoc quam-
obrem? Fortissima, & validissima est
ignorantia, intimisque insita membris;
ut nec facilè exuperari, nec eradicari
queat.

Diogenes nominatissimus Philoso-
phorum, quæsitus, quidnam in orbe fo-
ret difficilimum? Respondit, ignoran-
tiam vincere, & se ipsum nosse. Leviore
brachio domabit quispiam Leones, ac
Dracones, inferiore studio radicitus
eyellet annosas quercus, subvertet mœ-
nia, exsufflabit montem, quàm igno-
rantiam exuperet. Amor quippe sui,
cùm cæcus sit, lynceos sese habere ocu-
los reputat, & quod sibi persuadet,
quamvis falsissimum, absurdissimum-
que sit; justissimum, verissimum, ac sa-
cro sanctum arbitratur. Hinc tametsi
multa sciat, se ipsum ignorat; cùm celo-
rum cursus, terrarumque arcana in-
vestiget, se ipsum in terris haud per-
spicit.

Philo Judæorum disertissimus inter
alia arcana, ac sapientissima theoremata
quæstionem movet, quid rei sit, quòd
Adam, qui omnibus animantibus, &
conforti propriæ nomina imposuit, se-
met ipsum quoquam non initiaverit? Et
scitè responderet, quòd faciliùs sit alios,
quàm se ipsum nosse: *Mens, inquit, qua
inest unicuiq;, cetera potest comprehen-
dere, se ipsam nosse non potest. Quemadmo-
dum oculus alia videt, se ipsum non videt:
sic & mens intelligit alia, se ipsam non com-
prehendit.* Arduum itaque, & leoni-
num exposcens animum, opus est se
ipsum nosse: & cum Hercule leonis cir-
cum-

Notitia
sui diffici-
lis.

Laërt. in
Diog.

Adam cur
sibi nomen
non impo-
suit.
Philo l. 1.
de alleg.
legis.

cumferre exuvias dignus habebitur, quisquis suimet intima penetraverit; ignorantiamque prostraverit.

Sic perspecta persona sphynxis, quæstionem ipsius expendamus.

§. II.

Anigma Sphynxis proponitur.

VI. **C**omminiscuntur iidem prisca Sapientes anigma sequens cum ea interminatione à sphynge propositum, ut nisi viator apposuere illud enodasset, in præcipitium, quod pluribus evenit, eum datura esset; aut è contra ab eadem victor pœnas illas exposceret, si solvisset. Erat autem anigma istud: Quidnam rei manere esset quadrupes, meridie bipes, vesperi tripes. Seu brevius: Tu ò homo quis es? sine quidpiam huiusmodi?

Jam advertite quid factum sit. Eo itinere, ut autumo, præter alios, non sine copioso satellitio, & fastu profectus est Rex Tyriorum; quod ubi sphynx eminens coniecit, illicò advolans, percontata est hominem quis esset? *Tu quis es?* Rex ille totus à semet ipso aversus, & ad suam conversus pulchritudinem, contemplantur forsitan vultum in tiara fulgentem, vestes obryzò, gemmisque pretiosissimis fulgidas, annulos in digitorum decus inflammatos, circumpedaneos ipsos smaragdus, & adamantibus graves, & harum adjectitiarum rerum splendore perstrictus; elatusque reposuit: *Deus ego sum, & in cathedra Dei sedi, in corde maris.* Quo audito, sphynx hominem actutum arripuit, & stulti-

tiam illius redarguens, ait: Quid blateras siderate, ac excœcate? *Tu cum sis homo, & non Deus, & dedisti cor tuum, quasi cor Dei. Et quia elevatum est cor tuum in decore tuo, in terram projiciam te, ante faciem Regum dabo te, ut cernant te.* Sic prolocuta arrogantissimum Summatem ad supercilium rupis attractum, in abyssum præcipitem egit, pereundum corpore & anima, quem voluntaria infania excœcasset.

VII. Subsecutus eundem haud inferiore fastu Cajus Romanorum Imperator, & ipse eadem petitus quæstione, sublimi infania respondit: *Deus sum, & arbiter mundi.* Unde id probas, subjecit sphynx, cum hominem præferas? Inde profectò regessit Cæsar, quod homines regam. Etenim ille qui regit, & pascit capros, caper ne utiquam est; item qui pascit boves, bos ipse non est; qui pascit, & regit porcos, porcus non est; sed supra porcos; quemadmodum alii capris, & bobus multò quid eminentius, & alterius ordinis ac dignitatis. Ergo & ego, qui rego homines, altioris debeo esse Hierarchiæ, & quum nulla alia præter divinam dari queat, convinco evidenter, me Numen esse quodpiam. *Deus ego sum.* Ita de eo Philo: *Cajus persuaserat sibi, quod sicut aliorum gregum magistri, opiliones caprarum, subulci, neque ipsi sunt boves, neque capri, neque sues: ita quoque Imperatorem, præfectum gregi humano, non esse hominem, sed excellentioris nature, hoc est, divina; id eoque referendum esse in numerum Deorum.* Sphynx extibilans hominis impotentis infaniam, apprehensum eodem, quo superiorem, mulctat supplicio, ostenditque tantò se submissiorem debuisse

*Sphynxis
anigma.*

*Hominis
superbia.*

*Ezech. 28.
2.*

*Caj. Imp.
Fastis.
Philo lib.
de Legat.
ad Cajum.*

*Ibid. v. 7.
17.*

debuisset gerere, quò sublimior dignitate cæteris evalerat.

Soldani
arrogantia.

Pontan. in
bellariis.
p. 3.

VIII. Rursum idem legebat iter Persarum, Carthaginensiumque Princeps Soldanus. Huic cum ad quaestionem propositam respondendum esset, ait: *Ego Rex regum, heres siderum, ac frater Solis ac Lune.* Alter verò: *Ego Omnipotens Carthaginis, Dominus Jordanis, tutor paradysi, Rex regum, amicus Deorum, Jovis, & Solis nepos.* Sed & istos deductos in verticem proturbavit, eò profundius, quò altius per superbiam caput extulissent.

Venerunt denique alii, atque alii, & quaesiti itidem à monstro: *Tu quis es?* Unus ait: *Ego nobilis Polonus, Elector regum, & Rex alter.* Secundus: *Ego liber Baro.* Tertius ego *Illustis, Perillustis, Illustrissimus &c.* Nescitis, nescitis, regessit sphynx, & vos respondere; sedebitis humi, ostendam vobis mox, quàm furvi, quàm nigelli, quàm coracini sitis, sicque involans jam hunc, jam illum depressit.

Psal. 35. 13.

Vidit hanc credo rupem Rex Solymae, & obstupescens ad tantas minas exclamavit: *Ibi ceciderunt omnes qui operantur iniquitatem, omnes fastuosi, & arrogantes, expulsi sunt, nec potuerunt stare.* Ibi decedit Luciper dum similis affectat esse Altissimo. Ibi Proto-parens hominum eadem à superbiam principe inflatus libidine, *Eritis sicut Dii.* Ibi Alexandri, Pompei, Pharisaï &c. &c. *Deposuit potentes de sede.* Confregit capita inimicorum reges: descenderunt in profundum quasi lapis. Ibi vertiginem passi, quotquot ambulaverunt in mirabilibus supra se. O verè periculosam rupem! ô monstrum reformidan-

dum! in quod impingunt, quotquot se ipsos ignorant.

Auditores mei, nos cuncti viatores sumus: cuncti viam universæ carnis ingressi sumus, omnibus proponendum, ac discutiendum hoc ænigma, & nisi solverimus, nisi nos ipsos cognoverimus, idem nos manet supplicium. *Nemo, loquor cum Mellifluo, sine sui cognitione salvatur;* nemo evadit superbiam, jactantiam, præsumptionis aleam; & nemo qui in altis ambulat, extra præcipitium est. Ignari virium suarum Icarum, dum nimis in sublime alarum explicant suppara, cera diffluente, ac viribus infirmantibus in profunda tartarei proruunt incendii. Videndum itaque, ac discutiendum penitus hoc ænigma.

Cognitio
sua necessa-
ria.

§. III.

Oedipus adducitur.

IX. **F**ingunt denique Sapientes Oedipum Regem Thebanorum ænigma præfatum elucidasse, ac ostendisse, quòd monstrosum illud animal esset miser homuncio, qui in juventute sua quadrupes per terram, nisi fulciatur, aut feratur, reptat; in meridie autem, seu virili ætate bipes, id est, erectus incedit; sub vesperum tandem, seu in decrepitis annis tripes, nimirum cum baculo ambulat; sicque sphynxem ipsam triumphasse, ac in abyssum præcipitasse.

Oedipi so-
lutio.

Verùm cum ea extrinseca duntaxat hominis esset descriptio, sapientiores exactiùs, studiosiusque propositam in hodierno Evangelio quaestionem, seu

D iplius

ipſius definitionem diſcutere ſunt aggreſſi.

Et ne forte hallucinarentur coactō imprimis creaturarum conventu, ſingulas prope reſpondere coegerunt: Quid eſt homo? Dic cælum, dic tellus, & ea quæ in te ſunt.

Homo
quid.

Ad quod imperium, cælum, atque elementa deciderunt eſſe ſubſtantiam, eò quòd in ſubſtantia cum ipſis communicaret. Flores aborèſque dixerunt eſſe vivens, eò quòd cum illis viveret, ac creſceret. Aſſumpſere ſecundum illos belluæ vocem, & exulularunt: Homo eſt animal, ſimile nobis in corpore; Angeli item ſuam conferentes ſymbolam pronuntiarunt, eſt rationalis; eò quòd unum ex alio ratiocinando inferat. Concluſit demum Univerſum unanimi voce: Homo eſt omnis creatura, quia omnis creaturæ aliquid habet homo.

Hominis
definitiones
varia.

Verumtamen quia hæc magis ad pompam dicebantur, factumque ingenerandum, non contenti alii hiſ reſponſionibus, celeberrimas quaſque conſultuere Academies. Et in iis Dialectica ait: Homo eſt enthymema pro antecedente habens ortum, pro conſequentem interitum. Astrologia, quòd eſſet imago Lunæ mutabilis, nunquam in eodem ſtatu permanentis, ſed ſemper ad corruptionem vergentis. Ut enim creſcit proficit, completur; ita deficit, & ad ultimam quadram mortis deproperat. Hanc excepit Phyſica, & paucis hiſce eſſentiam hominis complexa eſt. Homo eſt animal rationale, mortale; nimirum ſecundum corpus homo animalis, & beſtialis; ſecundum animam autem rationalis, & angelis ſuppar; ſecundum

unionem, qua corpus cum anima concatenatur, mortalis. Quid Matheſis? Homo inquit eſt figura ſpherica in puncto, à quo incipit terminata. Quemadmodum circulus, à quo puncto inchoatur, in eodem terminatur; æqua ratione homo è terra procreatus, in terram revertitur; definiente Domino ipſo: *Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* Rhetorica, cujus proprium eſt rerum naturas facundè deſcribere; Orationem eſſe voluit; cujus Exordium eſt naſci, Narratio dolere, Epilogus mori. Tandem Theologia miſſis aliis ſcientiis, concluſit, ex Tripode altiore: *Deum time, & mandata eius ſerva, hoc eſt enim omnis homo,* &c.

Gen. 3. 19.

Eccle. 12.
v. 13.

X. Congeſtis hiſce in unum definitionibus, quæritur, ſitne in Orbe quiſpiam ſapientior, qui vel inter illas diſcerneret ſententias; vel aliam probationem redderet? Quibus de capularis quiſpiam ſenecio inter crebrò repetitos tuſſis ſuæ paroxiſmos emulſitare cœpit: Eſt utique, & is quidem quem propediem præſtolor hoſpitem Mors. *O quam rectum eſt iudicium eius.* Nullius ipſa reſpicit perſonam, nec vultum, aut ætatem, ſed pro æquitate, ac veritate decernit. Hanc ſi interrogaveritis, decideret ſapientiſſimè. Advenit interea expectata Lachæſis ſua armata falce, clepſidram in vertice diadematis geſtans loco. Hæc ut ſenſum ſuum deproperet rogata, falce ſilentio indicto ait: Mirum vos in re tantopere neceſſaria, ac luculenta hallucinari; miror amplius in homine definiendo, in tam varias abiſſe ſententias; nec tam ex ipſius viſceribus, quàm ex parergis quibuſdam appo-

Mors ſapientiſſima

appositis, aut accidentibus illam eruisse. Etenim ingenium, sanguis, ceræ, & si quæ alia, adjectitia sunt, certè aliunde mutuata, aut à creaturis emendicata sunt. Quocirca definitio ab iis desumi neutiquam potest. Definitiones enim æternæ veritatis esse necessum est, ita ut mutari nequeant. Hominem verò aut subsistere, aut vivere, aut excellentis esse ingenii, & similia, accidentia sunt, non essentia illius. Ergo datæ definitiones subsistere nequeunt. Quæ tandem? Ista sanè, quòd homo ex se sit *non ens*. Nam si quæramus an ab æterno fuerit? Utique toto contestante orbe profiteri cogemini, quòd non. Rursus si instet quis, & roget an saltem victurus in perpetuum? Reclamabit experientia, quòd non. Tandem si urgeat alter, dicatque hoc saltem tempus, quòd nunc exigit hominum quispiam, hæc vita ipsius, hæc actiones ipsius sunt. Prostat contra, & dico, non tam illius, quam meas esse res, & hoc momentum, quòd nunc agunt mecum, ex æquo dividere. Cùm itaque in omni statu physicè spectatus sit unum non ens, aut ens transiens; rectius circumscribetur, quòd sit unum non, seu nihilum. Unum non, quòd ex se origine caret de qua oritur; medio, quo subsistit; sine, quo terminetur. Unum non, quòd tempus emetiri, locus circumambire, circulus stringere, longitudo assequi nequit. Unum non, quòd nec substantiam habet, nec accidentia, nec genus, nec formam, nec naturam, nec proprietates ullas.

XI. Hanc solutionem cælestis Oedipus, S. Joannes Baptista in præfato Evangelio non minus demissè, quam sacrosanctè adluxit, quando rogatus

num ipse foret Christus? reposuit: Non sum. An Elias? Etiam non. An saltem unus ex Prophetis? rursus ad suum ille *non reversus*, ingeminavit: *Non sum, non sum.*

Indubium est, quòd S. Joannes Præcursor Domini ab originaria labe, in utero matris suæ, à visitante se Domino fuerit expiatus; quòd insigni sanctimonia, ac aliis muneribus cumulatus; quòd ipsos Prophetas antecesserit, quotquot ante ipsum fuerant. (*Non enim surrexit major, inter natus mulierum Joanne Baptistâ.*) His tamen aliisque omnibus dotibus, ac charismatibus non modò non, elatus non est; non modò non eadem sibi non arrogavit; sed perinde acsi omnino iis destitutus fuisset, replicuit: *Non, non, non.* Unde hoc? Quia Joannes erat: id est, quia cognovit, quòd gratia Dei erat, quòd erat. Ita Chrysostomus: *Noluit hoc sibi adscribere, etiam quòd erat S. Joannes. Fuit enim major Eliæ, major Prophetis, immo vox ipsa Verbi Incarnati: nimirum quia ex se nihil fuit, quidquid autem fuit, gratia Dei fuit, & gratia illius, in eo vacua non fuit.* Quòdcunque ergo esse habere se sensit, totum id Deo suo in acceptis retulit, sibi verò tanquam servo inutili nihil omnino adscripsit. Non enim est malignantis naturæ, quidquid post se invenit, tollit.

Nisi itaque & nos malimus esse assecræ Luciperi, quam Joannis Præcursoris, & Baptistæ Domini, & ipsiusmet Christi, ab eodem discamus in nos ipsos descendere, nihil nobis arrogare, soli Deo omnia adscribere. Cum illo apostasiæ authore cadat necesse est, quisquis sibi cum eodem per dona collata

S. Joannis
Bapt. hu-
militas.

Matth. II.

S. Chryso-
st. h. l.

Homo non
ens.

ad fastum, & superbiam gradum architectatur. Architectatur autem, quisquis se ipsum non agnoverit, & Deo datori bonorum omnium, quidquid habet in acceptis, retulerit.

Discamus inquam, ab hoc Oedipo caelesti definitionem, ut eò profundius in demissione vera, ac sincera crescamus. Qui novit pauperiem suam, quòd de terræ natalibus, seu spuris prognatus; quòd ejus, aut parentum ipsius divulgata sunt Orbi scelera; tamen si præclarè alioqui sese gesserit, memor suorum natalium, aut scelerum, haud præsumit alios inter gloriari, cæteros despuere, aut sua commendare. Timore enim percellitur, ne dedecora ipsius refricentur; & quidquid gloriosè ab eo patratum est, notâ illâ vitæ, aut natalium divulgatâ, obfuscerur, ac dehonefctetur: Equâ ratione vel ad concava sublimata supercilia deprimemus; si substantiæ nostræ, seu nihili nanticam studiosè discussimus; si memores fuerimus originalis maculæ; si aliorum patratum scelerum; si miseriam, ac indigentiam; & perinde ac latro quispiam notatus infamiâ, coram quibusvis de-

missè, humilitèrque geremus. Nam si fratricidæ illi Caino vultus concidit, ob notorium, ac evulgatum scelus suum, qua ratione tu erigeris, qui ipsi Filio Dei violentas manus, idque toties, intulisti.

Discamus quæso, hanc Oedipi resolutionem, quatenus æstimemus immensi Domini Dei nostri in nos amorem. Ipse enim ejusmodi animal miserum fieri dignatus est; nam, cum obstetricem non habuerit, nec manibus B. Virginis Matris semper ferri potuerit, credibile est, sæpè sæpiùs ipsummet, ut fieri solet, à picoris quadrupedem, id est, manibus, pedibusque reptasse, qui pugillo mensus est aquas, & tribus digitis sustentat molem terræ. Ipse deinde grandior ætate bipes, assurrexit ut Gygas ad currendam viam Patris sui; Ipse tandem cum cruce, quasi tripes egressus est ex hac mortalitate.

Discamus hæc, ut Sphyngæ, seu ignorantiam devictâ, gloriosè de ea triumphantes, cum S. Joanne Præcurfore sublimari mereamur. Fiet id auxilio tuo Christe JESU.
Amen.

